



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Divortijs. Consilium DXLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

mento absolvi potest. Neque sanè inter Iulianum & Ioannam res tam præceps fuit, quin & copula intercesserit, & Sacerdos intervenerit.

12. Quod septimus articulus continet nihil ad causam facit, nam pauper diviti nubere potest, & debita mariti matrimonium non dissolvunt: cum mulier marito urgente ad inopiam, remedia juris habeat, quibus ei in tuto bona sua servantur, l. si constante soluto matrim. Et quamvis huiusmodi causa tempore sponsaliorum ignorata, possit esse iusta causa renuntiandi matrimonii jam perfectè contracti & consummati: ut declaratio de ingrediendo monasteriū hic sit planè impertinens.
13. * Id enim permittitur tantum ei, quæ cognita non est, c. 2. De convers. coniugat. quamvis eo casu de fœdere matrimonii questio non perimeretur; propter lucra nuptialia, quæ illo casu marito competunt, DD. in l. Deo nobis C. de Episc. & cler. Cum ergo ex prædictis constet, omnia per Appellantem proposita esse impertinentia, & partim prius rejecta; officium Reverendi Domini Iudicis est, ut prædictis articulis rejectis, aut in consideratione non habitis, ad sententiæ definitivæ calculum & pronuntiationem procedat.

De Divortijs.

SUMMARIUM.

Separatio thori ob adulterium & veneficium.

1. Separationis thori cause quæ sint.
2. Dos amittitur ob adulterium & veneficium.
3. Adulterij præsumptio unde constituatur.
4. Osculum an sufficiat ad thori separationem.
5. Res inter alios acta, alijs nec nocet nec prodest.
6. Confessionem delicti inducit illius abolitio.
7. Mulier omnis mala, sed tamen habet qualibet duas horas bonas.
8. Veneficium crimen gravissimum.
9. Separationem thori meretur machinatio in mortem coniugis.
10. Separatio coniugum quando cautionibus reconciliari non possit.
11. Marito permittitur moderata correctio in uxorem.
12. Uxor cum alijs viris balnea frequentare non debet.
13. Maritus quibus gradibus uxorem corrigere possit.
14. Separationis thori causa sufficiens est veneni porrectio ab uxore marito facta.
15. Maritus uxorem recipere non cogitur sub cautione, quæ ipsi venenum porrexit.
16. Maritus potest interdum propria auctoritate uxorem expellere.

CONSILIUM DXLIX.

SVPRA modum iustæ sunt causæ, ob quas Iacobus W. Actor, adversus Annam F. suam uxorem proponit divortium seu separationem thori; nimirum ob adulterium & veneficium. * Vtraque enim causa non tantum legibus civilibus expressè comprobatur, ad divortium inducendum, l. Consensu C. de repud. Auth. de nupt. §. cetera §. si igitur secundum coll. 4. & Auth. Vt liceat matri vel avia §. quia verò plurimas, vers. si quolibet modo mulier collat. 8. verum etiam canonibus, c. 1. in fine c. Ex literis de divort. c. 1. Vt lite non contest. c. Plurimque de donat. inter vir. & uxor. Nam et si crimen alterutrius conjugis etiam capitale, non sufficiat

ad hanc separationem obtinendam, quoties alterum conjugem, aut ejus injuriam proximè non contingit, c. 2. de divort. sufficit tamen, si executio criminis seu delicti cum contingat, vel ad ejus injuriam spectet, d. c. 2. in fine; ideoque quia adulterium alterutrius alterum exasperat, d. l. Consensu, d. §. cetera, & genitalis thori injuriam proximè contingit, idoneam causam præbet ad separationem. Et pariformiter veneficium seu veneni porrectio, si alijs fiat, huc non pertinet: si autem vir uxori, aut uxor viro id paraverit, sufficientissima est separandi causa. Neque enim vitæ communicatio, aut divinæ ac humanæ domus consociatio inter eos constare potest, quorum infidijs alter ab altero tutus non est. * Et non tantum ad separationem thori, manente vinculo conjugii, d. c. in fine, ex his causis agi aut contendere potest; verum etiam ad dotis amissionem: si uxor adulterata est, aut venenum porrexit vel paravit, d. c. Plurimque; multoque magis alimenta, aliaque impensæ negari, DD. in l. Si cum dote §. si autem in savijsimo Soluto matrim. Fred. de Senis consil. 176. Dominio Contrado, Lud. Bologninus consil. 23. Cor mundum nu. 7. in fine, Paul. Varis. consil. 54. Asserta sententia nu. 57. vol. 4. Bald. consil. 176. Cecilia receptis vol. 1. Ita ut eum de idoneitate causarum constet ad petendam thori separationem, ad auferendam dorem, ad denegandum in futurum alimenta atque expensas; inquirendum tantum sit de veritate causarum.

Et sanè quoad adulterium, quamvis nulla in actis coram Domino Officiali L. in simili causa habitis extet dicta probatio adulterii; quod per se directè vix probari potest, & oculis hominum ita expositum non est, l. Quod ait lex Ad L. Iul. de adulte. extant tamen sufficientissima argumenta, quæ ad indubitatè præsumendum adulterium sufficiunt, de quibus præter alios testificantur Godefridus B. Anna ejus uxor, & Catharina de B. videlicet quod cum viris alijs, præsertim noctu extra domum mariti, eoque absente, in balneo nuda cum nudis laverit, & ibi lascivendo honestæ matronæ modum, ac mores excellerit: inde enim in cujusvis hominis iudicio non carentis, sensum statim cadit adulterii præsumptio, c. Lueris De præsumpt. Vnde rectè ait Salicetus, in d. l. Consensu nu. 10. quodd ex huiusmodi abnoctatione, & pernoctatione, ac balneatione, inducatur præsumptio, quæ legi & homini sufficiat ad verè præsumendum adulterium. Quare hæc præsumptio tamquam juris & de jure inter eas causas, quæ ad hanc separationem sufficiunt, nominatim relata est, si cum alijs, viro nolente, mulier laverit, d. §. quia verò plurimas, vers. si cum viris nolente. * Cum aliqui etiam luxuriosum osculum, aut tactus impudicus Baldo, in c. Tua n. 4. de procuratorib. sufficere videatur ad dorem amittendā, & ad hanc separationem obtinendam: quia, ut inquit Matthæus de Afflictis ludus impudicitie puniri debet, ad consil. regni Neapol. lib. 3. Rub. 46. De pæn. uxor. in adult. deprehensa.

Neque enim in contrarium facit, quod ex iisdem probationibus Iacobus nihil obtinere potuit apud dictum Officialem; qui non obstantibus iisdem condemnavit Iacobum ad recipiendam uxorem suam instante fisco: nam in re iudicata exco-

exceptionem non potest habere præfata Anna; quæ nullas partes in ea lite habuit, sed fideus ex officio egit: quemadmodum res inter alios iudicata; alijs non nocet, sic nec prodesse debet, l. Res inter alios C. Quibus res iudic. non noc. Deinde etiam si Anna in ea causa partes aliquas sustinisset; id tamen huic causæ nullum præjudicium adferret: illo enim iudicio actum non fuit ad separationem thori; sed tantum summarie ad hoc, ut Iacobus, qui uxorem suam deferuisse dicebatur suâ auctoritate, sine iudicio Ecclesiæ, eandem ad se reverti volentem recipere teneretur; quod probabilitatem habet, c. De illa De divort. ne à spolio incipiat; hoc est, ut mulier nondam convicta, aut per Ecclesiâ iudicata, possessione matrimonij sui priveretur, c. significasti De divort. c. Litera de respit. spoliat. Ita ut istud iudicium, & inde sequuta sententia, interdicti seu provisionalis sententiæ speciem habuerit; quâ plenæ cognitioni, & causæ principali divortij, seu separationis, nullo modo præiudicatum fuit; ideoque nunc ordinario, & pleno instituto iudicio, ad separationem (quod coram dicto Domino Officiali factum non fuit) obtineri potest eadem separatio, etiam ex iisdem probationibus: quia status & conditio causæ præsentis id bene permittit; non item prioris per fideum ad alium finem institutæ.

6 Quod ad veneficij probationem attinet, multum disputandum non est: nam præsupposito, quod in supradictis actis illius sufficiens, & quæ iudici ad credulitatem sufficere deberet, non extaret probatio; prout bene sufficiens nobis extrare videtur: illa tamen in hac causa effecta est liquidißima, per exhibitionem literarum, quas Anna impetravit pro obtinendâ abolitione ac remissione dicti veneficij; exhibito supplice libello, in quo apertè narravit se venenum comparasse, illudque marito in salinò porrexisse, ac maritum comedisse; indeque os & labra illius intumuisse. Huiusmodi enim narratio plenæ confessionis vim habet; imò directæ confessio est, l. Cum precum C. de liber. causa. Abolitionem namque, seu remissionem criminis petenti necessaria est criminis confessio; cum mentienti non possit prodesse remissionis impetratio, l. Esi legibus c. Si contra ius vel util. publ. nec præsumitur in re tam seria apud Principem, eumque, qui Principis locum obinet, ludere, aut falsum enarrare velle. Quod sit, ut quemadmodum ex pace, & transactione superdelicto inter partes factâ fideus probatam habet intentionem adversus delinquentem, ut criminaliter procedere possit, l. Transigere & ibi DD. C. de transact. l. 1. De his qui not. infamia, ita quoque ex remissionis impetratione probata, probatio delicti constituitur parti læsæ.

Nec facit ad imminuendum hoc delictum, quod Anna se excusando dicat, se hoc venenum porrexisse, ut maritum meliorem faceret, illudque ei persuasum fuerit: nam reliquæ circumstantiæ, quas etiam continent dictæ literæ id omnino non verosimile, & per consequens falsum esse arguunt: veluti quod non ipsa, sed per interpositam puellam emerit; quod mittendum fuerit hoc venenum ad sororem, ut eo inescarentur, & occiderentur glires, & forices, quibus domum sororis scelerare continetur. Nisi doli mali & delinquendi

Conf. Wamef. Tom. II.

consilium habuisset, his simulationibus & mendacijs uti non erat necessarium; planeque frivola & craffa est opinio & persuasio; quasi eo veneno parato maritus efficeretur melior; quo hausto sciebat glires statim interfici. Non cadit profectò in hominis sensum alia cogitatio quàm occidendi, & maritum meliorem efficiendi per mortem, postquam nec mordere, nec loqui amplius possit. Ad quod alludit Enigrama Cræcum. 7

Πάρα γυνὴ χρόνος ἔστιν, ἔχει δ' ἀγῶνας δύο ἑσπας, τὴν μὲν ἐν βαλάντιον, τὴν μὲν ἐν θυρεῶν. Hoc est, Omnis mulier mala est, sed habet duas binas horas: Vnam, cum dormit, unam, cum mortua est.

Neque rursus ad rem facit, quod ex porrectio- 8 ne huius veneni Iacobus nullum gravius detrimentum, nec periculum mortis senserit: nam id ex eventu & bonâ fortunâ magis quàm ex iudicio & proposito Annæ est. Huius enim criminis atrocitas magna est, sic ut etiam publicum crimen indicat, in Auth. Vi. cum de appell. cognosc. §. si veigatur omnes, vers. sancimus itaque coll. 8 & in eo perpetrando sufficiant conatus ac præparamenta tantum, l. 1. §. præterea l. Eiusdem in princ. Ad l. Corn. de sicar. quia venena mala facere aut parare flagitiosum, & de genere prohibitorum est, atque omnino punibile, l. Quod sæpè §. veneni De contrah. empt. l. Capitalium §. venenarij De penis. Indeque est, quod gravius sit hominem veneno interficere; quam simpliciter occidere, l. 1. C. De malefic. (quod ob id appellat Baldus pessimum crimen ausu & exemplo, conf. 443. Celsus confectio venenum nu. 6. vol. 3.) nec in illo incipitur effectus, Bart. in l. 1. Ad leg. Pomp. de parricid. Deinde hic simplex conatus non est; sed facti executio: nec principium remotum ac preparatorium tantum est, sed propinquum, & ut inquit Baldus, d. confil. 443. nu. 1. substantiali: quia marito sub specie salis obiecit, illudque sumendi & comedendi occasionem subministravit, sequuta etiam illius comestione. 9 Cum alioqui ad hanc separationem obtinendam sufficiant solæ insidiæ & machinatio in mortem coniugis, et si non sequatur effectus, ut expresso iure cautum est, d. c. 1. De divort. & ibi Panorm. d. §. mitiores, d. §. quia verò plurimas, d. §. si ve igitur omnes vers. si contigerit aut vitium: quod in proposito sufficit nec latiore deductione eger. Quæ quidem machinatio, cum non ex animi subritâ; & calore commotâ iracundiâ, sed ex animo altius infixâ ac proposito proficiscatur, perpetuam suspicionem & probabilem metum etiam in futurum iniicit, 10

* sic ut licet alias interveniente tantum sævitia vel morum asperitate, cautionibus reconciliari soleant coniuges, & ad mutuam cohabitationem cogi possint, c. Ex transmissa, Derejit. spoliat. ubi tamen insidiæ vitæ probabiliter subsunt, uti evenit ex veneno semel porrecto, cautionis remedium cessat, & iudicio Ecclesiæ urgenda aut impetranda non est reconciliatio vel cohabitatio, Panorm. in d. c. 1. n. 40 Hypol. de Marsil. ad l. 1. n. 307 & seq. C. de raptu virg. sed sufficit solius mariti declaratio, præsertim jurata quod uxori diffidat: sunt enim mulierum iræ & vindictæ sævissimæ, & plerumque implacabiles, Titul. de legib. connub. l. 9. n. 184. cum seq. Cum igitur iudex lege ipsâ mitior esse non debeat, & marito invito in tanto vitæ periculo, tam lubrica periculosaque

A a a

uxor

uxor in thoro conjungi non debeat, existimamus præfatum Iacobum optimè fundatum esse in petenda hujusmodi separatione thori, atque etiam adjudicatione dotis & liberatione ab alimentis.

Additio.

QUOD sententia per Dominum & M. Ioan- nem Hiprimæ instantiæ ex commissione Venerabilis Domini Officialis L. Iudicem, adversus Iacobum W. Reum & nunc Appellantem, pro Henrico L. Actore, lata retractari, & Reus ab impetitione Actoris absolvi debeat; sine magno labore demonstrari potest. † Hoc etenim est manifestum, marito in uxorem permissam esse moderatam correctionem seu castigationem, Gloss. ult. Et ibi DD. in c. Quomodo De iureiur. Paris. cons. 54. asserta sententia nu. 33. vol. 4. præsertim malis & potissimum impudicis moribus illius id exigentibus, Gloss. in l. sed etsi quemcumque §. ult. in fine ad leg. Aquil. cum alijs adductis per Tirag. de legib. connub. leg. 1. nu. 22. cum maritus nihil perinde exasperet, quam violari sui thori vel veritas vel suspicio, l. Consensu C. De repud. Ideoque rectè dixerit Baldus, cons. 176. Cæcilia recessit à Francisco nu. 3. vol. 1. quod vir sapiens dietim malos mores uxoris corrigere debeat, ne transeat in consuetudinem delinquendi. Usque adeo ut maritus non possit compelli ad præstandam cautionem de non corrigendo malos mores uxoris; & si id promitteret, nulla esset obligatio, ne uxori materia & occasio delinquendi

12 subministraretur, l. Si plagij De verb. oblig. * Ex testimonijis autem dicti Rei satis constat causam, cur Anna F. à Reo suo marito aliquando vapulaverit, fuisse dissolutam ac nimis liberam minulque verecundam dictæ Annæ in discurrendo & cætibus virorum se ingerendo audaciam: præsertim ad balnea, in quibus nulla mulier cum viris honestè nuda conspici, aut conversari potest, can. Non oportet 81. dist. 1. imò ex eo iusta causa divortij, seu, ut nunc dicimus, separationis thori, marito datur, l. ult. §. fin. in verb. vel ita luxuriosa est, ut commune lavacrum cum viris libidinis causa habere audeat, C. De repud. velin. in c. Præterea 1. nu. 3. De testib. Maximè quòd hæc Annæ balneatio contigerit, Reo suo marito extra oppidum ablente, & de nocte cum viris, qui uxoribus carebant; idque interposito vino & commestatione usque in sequentis diei lucem protrahat. Quid enim inde honesti maritus id resciscens potuit suspicari? Nam, ut vulgò dicitur,

Non ex amor, vinumque nihil moderabile suadent.

Potissimum quia & illud constat, dictam Annam calentem adhuc, & vino madidam, eadem primà luce venisse ad lectum Iacobi W. eumque impudicè contractasse; suspicionem augente, quòd Reus etiam probavit, quòd in balneis, lasciviâ magnâ viros sollicitare cœperit, & inter eorum crura sedere conata fuerit. * Sic ut ex hac causa, non tantum liberum, sed secundum leges honestatis necessarium fuerit præfato Reo uxorem castigare, etiam verberibus. Principijs enim obstandum est, cum serò medicina paretur, dum mala per longas invaluerit moras, Tirag. de legib. connub. leg. 9. n. 224.

In qua castigatione non probatur Reum debitum juris ordinem non servasse, sed ex contrario constat, quòd gradus illos, quos D. Chrysof. Homilia 26. in Mattheum marito adversus malè mora-

tam uxorem præscribit, observaverit. Primum, si uxori nullum malum exemplum dando, sed pudicè ac modestè vivendo, bonorum morum colendorum auctor præfata Anna fuerit, l. Si uxor §. Iudex Ad leg. Jul. de adult. cum ex parte uxoris dissoluta vitæ aliquid exemplum aut argumentum Reo non obijciatur, & non obiectum præsumi non debeat, l. Merito pro socio. Secundò, illam modestè admonendo in præsentia proborum; prout Annam sic admonitam, & blandè requisitam fuisse à Reo, ut desisteret, ita se omnium cætibus ingerere, & dissolutè discurre, plures testes pro Reo produci deposuerunt. Ita ut merito, eadem Annæ non obtemperante, potuerit descendere ad tertium gradum; hoc est ad percussione etiam cum baculo: quod cum Reus fecerit lege permitte, nullam inde poenam pati, vel talem condemnationem, qualem continet sententia, à qua appellatum est, lubrè non debet, l. Gracchus Ad L. Jul. de adult. Accedit, quòd ex testimonijis Actoris non constat, quòd Reus percutiendo & castigando, modum excesserit; hoc est, Annam vulneraverit, debilitaverit, aut membrum aliquod ei frigerit; etiam si aliqui ex testibus Actoris in genere deponant, non allatà certà scientiæ causa, nec designato aut specificato tempore, quòd Reus Annam suam uxorem malè aut inhumaniter tractaverit, malè tractationis modo non expresse; nisi per unam mulierculam, cui soli credendum non est, l. Maritus de questionib. iurjurandi C. De testib. Et quamvis una ex testibus, quos Reus produxit, deponat de livida cute Annæ, non tamen deponit, quòd hujusmodi livorem ei fecerit Reus: sed hoc tantum quòd Anna ei hoc narraverit; cui tamquam in re propria, & ad onerationem mariti, quem odisse cœperat, credi non debet, l. Omnibus C. De testib. Et ut de hoc livore satis probatum esset, nihil tamen inde deterior facta esset conditio dicti Rei: quia dum lex castigationem & emendationem uxoris marito permittit, non hoc præscribit, ut caudà vulpinâ cœdatur; sed virgas, flagra, & baculos permittit, l. C. de emendat. servat. Tirag. d. l. 9. Gloss. 1. nu. 225. quæ sine livore aliquo, aut vibicibus vix inferri possunt. Relinquitur ergo nullam subesse iustam causam condemnationis, ad punitionem arbitriariam ob malam tractationem ipsius Rei.

Sed nec ob ejectionem aut separationem Annæ à thoro suo Reus pro arbitrio puniendus condemnari potuit. Primum, quòd de ejectione (ob quam dicitur Anna separatim à Reo vixisse) per Reum facta non constat; sed magis probatum videtur, Annam voluntariè Reum deseruisse: quæ ejectio in postremo discessu Annæ præsumenda non est per Reum facta; ex eo, quòd quidam testes Actoris deponant, Reum sæpius eiecisse eandem Annam. Nam præterquam quòd id deponatur à cognatis & affinibus Annæ, quibus merito ob exulceratum eorum animum adversus Reum credi non debet in hac causa, DD. in l. Parentes C. De testib. ex adverso quoque constat, quòd Anna ipsa sæpè ultro ac spontè à marito discesserit. Ita ut præsupposito utrimque concursu frequentie ejiciendi, & ultro discedendi, Reus præsumptione, quod ipse postremo Annam eiecisset, gravari non debeat, sed Actor plenè probatione postremo hujus

huius ejectionis; cum pro Reo generaliter in ob-
scuro præsumendum sit, l. *Arrianus de oblig. & act.*
l. *Favorabiliores de reg. iur.*

14. Et si de ejectione Rei constaret, nihilo pejore
loco futura esset Rei causa quoad hanc arbitra-
riam correctionem; ob id, quod in priore instan-
tia satis constiterit, quod Anna Reo toxicum seu
venenum præparaverit, & salim immiscuerit: quæ
causa per se sola idonea & sufficiens est ejectionis
ac separationis thori, tam iure Canonico, l. 1. in fi-
ne c. *Ex literis de divor. c. 1. Vt lite non contest. c. Plerum-*
que de donat. inter vir. & uxor. quàm civili. d. l. Con-
sensu, Authent. de nupt. & miores vers. si igitur mulier.
collat. 4. & Authent. Vt licet matri & avia & c. quia verò
plurimas, vers. si quolibet modo col. 8. Quo enim mo-
do vitæ communicatio, aut divinæ ac humanæ
domus confociato (quæ in pacato & bene concor-
di matrimonio esse solet, l. Adversus C. De crimine
expi. hered.) inter eos constare possit, quando in-
fidijs alter ab altero tutus non est? Eaque causa
separationis ceteras omnes ferè superat; cum ex
ea, quæ venenum porrexit, aut porrigere conata
est, uxor propriam dotem amittat, d. c. Plerumque;
& præterea per maritum ali non debeat, Bald. in l.
1. nu. 9. vers. secus si discedat propria culpa C. de legat.
20. in l. si cum dote c. fin. autem in sevisimo Solutio
matrim. Fred. de sensu consil. 176. Dominio Contrardo. Lud.
Bohlog. consil. 23. cor mundum nu. 7. in fine Paris. consil.
54. Asserta sententia nu. 57. vol. 4. Sic ut cum hæc
separationis causa iure comprobetur, non debeat
referri Reo ad aliquam poenam, si ex ea causa vel
eiecit vel eiectionem aut sponte discedentem postea
admittere aut alere noluit uxorem suam, d. l. Grac-
chus.

De probatione huius veneficii seu veneni am-
bigendum non est; ob id, quod ex testimonijs in
prima instantia per Reum productis, satis apertè
constet de empto ex mandato Annæ hoc veneno,
& de impositione ac propositione illius in salino,
etiam ex Annæ confessione. Et si que in testimonijs
illis vel obscuritas, vel imperfectio esset (prout verè
est) illa in hac instantia planè discussa ac sublata
esset: primum, per exhibitionem instrumenti lite-
rarum abolitionis, quas per suum supplicem libel-
lū dicta Anna in Provinciali Concilio N. obtinue-
rat: in quo supplice libello hoc veneficium apertè
confessa fuit. Prout etiam ex eadem confessione in
interinatione dictarum literarum abolitionis per
Concilium prædictum condemnata, & in Mona-
sterium ad tempus detrusa fuit. Secundo, per se-
quentem sententiam Domini Officialis N. per
quam sententiam divortio & separatio thori inter
dictum Reum, ac præfatam Annam ex prædicta
veneficii causa declaratur. Ita ut cum ex eventu
comptum sit, Reum iuste recussisse uxoris suæ
consortium, nec id sine vitæ suæ periculo conti-
nuare potuisse; non debuisset ex eadem causa re-
spectu fisci condemnari ad poenam; & respectu
uxoris à vinculo seu necessitate cohabitationis ab-
solvī: ne unum idemque dicatur & condemna-
tionis & absolutionis causam continere, l. *Inter*
15 *stipulantem & sacram. de verb. oblig. ** Cum præ-
terea hæc causa talis sit, cui per remedium
cautionis succurri non possit; & in quā solius
mariti assertioni, quod non audeat ob vitæ peri-
Cons. Wamef. Tom. II.

culum uxori cohabitare, credi debeat; nec possit
iudicio Ecclesiæ urgeri aut cogi ad reconcilia-
tionem aut cohabitationem, *Panor. in c. 1. De di-*
vor. Hyppol. de Marfil. ad l. unic. nu. 307. & seq.
C. De raptu virg. Mulierum enim iræ & vin-
dictæ lævissimæ atque implacabiles sunt, Tirag.
de legib. connub. leg. 9. nu. 184. cum seqq. ita ut illud
Iuvenalis, Sat. 6. sub finem, hic rectè quadret:

Custodite animas & nulli credite mensæ.

Livida coniugio servant adipata veneno:

Mordeat ante aliquis, quicquid porrexeris illa.

Sic ut Reo obijci non possit, quod propriā auctori-
tate Anam expulerit sine iudicio Ecclesiæ: idēq;
ad illam recipiendam, donec de causa separatio-
nis iudicatum erit, dictus Reus cogi non debue-
rit; ut in alijs causis separationis observatur, c.
porro c. de illa De divor. Nam alia est ratio depre-
hensi veneficii, quod statim periculum iniecit, &
nullā cautione emendari potest, perdurante coha-
bitatione, & illa maris ac femine confociatione,
ut dictum est. Sic ut in hoc articulo coniugi, cui
huiusmodi infidiæ positæ sunt, non videatur in-
cumbere necessitas expectandæ sententiæ, cum
suæ vitæ discrimine: cum alioqui etiam ex noto-
rio ac manifestè deprehenso uxoris adulterio,
liberius permittatur marito potestas illam propriā
auctoritate expellendi, c. *Significasti de divor. Pa-*
nor. in c. fin. De adul. & in c. Literas de resur. spoliar.
Ioan. Franc. Ripa in l. Naturaliter §. nihil commune nu.
24. de acquir. posses. Atque ita omnibus rectè ex-
penlis, existimio partes Venerabilis D. Decani
esse, ut retractatā prioris instantiæ Iudicis senten-
tiā, Reum ab impetitione Actoris absolvat: eod-
em Actore in expensis utriusque instantiæ con-
demnato.

De divortijs.

S V M M A R I V M.

Separatio thori ob adulterium.

1. Excipiendū Reus interdum facit intentionem
Actoris.
2. Separationis thori iusta est causa adulterium.
3. Incestus committitur cum filia spiritali.
4. Delictum parit duplicem actionem, civilem & cri-
minalem.
5. Abolitio Principis poenæ gratiam facit, sed non ledit
ius læsi.
6. Adulter cum absolvitur à Iudice quid iurare debeat.
7. Copula carnalis quomodo probetur.
8. Testium multitudo corroborat & supplet probatio-
nem.
9. Testes singulares probant in actu reiterabili.
10. Poenā reiterari potest reiterato delicto.
11. 14. Reconciliatio quando tollat, separandi thori posse
statem ex adulterio.
12. Lenocinium non obijci maritus uxori.
13. Vxor non debet facile accusare maritum.